

fit aliud esse, quàm quod ibi est. Hinc adeò Quicquid est, vere est, in quantum hoc est, quod ibi est. Quomodo ergo, homo ipse vere homo est, & vere à Deo productus, si non id est (secundum essentiam inquam; quicquid sit de corruptione peccati) quod in Deo est? Et quam ideam hominis veram opere expressit Deus, si veram illam reliquit? Quod si cum vera (mortali) hominis natura, gratiosa illa (Immortalitatis) conjuncta est; non jam superlative quadam dicendi, sed vere homo *miraculum* est; ut porro quæstione opus sit, quomodo ex duobus illis factum sit *unum*? An conversio mortalitatis in immortalitatem facta? vel mortalitati additam habeat immortalitatem? Et quando hoc vel illud contingat? Num quando anima jam corpori juncta? vel cum ab illo discedit? habere eam, tum quando corpori unita est; patet ex operationibus. An ergo accepit in ipso generationis puncto? nunquid ipsa generatio naturalis eam attingit? Et quidem educatione ejus ex potentia materiæ? Et tum, quid quæso lucis ad quæstionem de Origine animæ attulisti novo hoc Paradoxo? Cum integra adhuc quæstio sit, num res aliqua, cujus naturæ spiritualitas vel immortalitas non repugnet, an inquam talis res ex potentia materiæ educi possit? Et in quam parte, naturali inquam vel gratiosa, peccatum originis resideat ut propagetur? Quam ad rem, non hæc ipsa hominis natura evertenda; sed vera rectaq; doctrina opus est, ut fidei se, absq; molestia submittat philosophia.]

θ. 7. *Nec spiritualitas hæc obstat, quo minus vera hominis forma sit, & definitioni communi animæ, (2. de an.) imò & naturæ, (2. Phys.) se submittat; & corpus essentiali εἰς ὅλην αὐτὴν subeat, unam cum illo constituens essentiam.*

θ. 8. *Et quia spiritualis est, etiam Indivisibilis est; non inherens corpori, aliqua suarum partium diversitate; sed tota in toto, & tota in singulis partibus; ut vera pars non sit, quam præsens ipsa non informet; etsi aliter in parte corporis principe sit, in corde inquam; cum aliqua præsentia & radicationis prerogativa.* [Quæ alibi fuse nobis deducta; hinc tetigisse satis sit, ad alia properantibus. Kkus. p. 477. §. 5. frustra ait quæri, An anima sit in toto corpore tota, an in singulis partibus tota.]

At